This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google



Digitized by Google

302353546V

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICI IORDANI

SYMBOLAE AD HISTORIAM RELIGIONVM ITALICARVM ALTERAE

COMMENTATIO EX INDICE LECTIONVM IN REGIA VNIVERSITATE ALBERTINA PER AESTATEM A. 1885 HABENDARVM SEORSVM EXPRESSA

REGIMONTII
A. 1885
PROSTAT IN OFFICINA HARTVNGIANA

Digitized by Google

D.67/3c

Digitized by Google

I DE FORTVNA IOVIS FILIA PRIMIGENIA PRAENESTINA

Raro accidit ut arcana religionum italicarum spissis undique nebulis saepta introspiciendi facultas detur detecto monumento aliquo earum primigenio et a varroniana doctrina immuni. accidit autem nuper invento Fortunae titulo perantiquo aeneae lamminae inscripto, qui postquam in ephemeride francogallica 'bulletin de la société des antiquaires de France' anni 1882 editus paene delituerat, nunc tandem complurium animos advertit ad fidem ectypi a Mowatio transmissi insertus ab Henrico Dessau Hermae Roberti Kaibeliique a. 1884 p. 453 ss. ac Dessavii quidem exemplum infra adscripsi:

ORCEVIA · NVMERI
NATIONV · CRATIA
FORTVNA · DIOVO · FILEA
PRIMO · ƆENIA
DONOM · DEDI

et haec quidem omnia certae lectionis videntur esse aut certe visa sunt esse editori, nisi quod dubitari posse is adnotavit p. 455, an primo versu extremo FILEA vocabulum perierit: atque in aere quidem Mowatium sibi visum esse tenue primi elementi vestigium observare; sibi nullum comparuisse in ectypo. qua de re, ut nunc res est, quoniam non imagine ectypi verum arte typographi rem agere editori libuit, ut discriptio versuum elementorumque qualis in aere sit, nobis nullum competat iudicium, certi nihil constitui potest. sed tamen spero fore, ut siquis archetypum exemplar accuratius denuo intentis oculis examinaverit, certo agnoscat, id quod res ipsa flagitare videtur, nihil primo versu detractum esse; agnoverit etiam utrum extremo titulo DEDI scalptor dederit, an quod aequo iure, ne dicam meliore requisiveris, DEDE, denique certumne sit *ia* elementorum reliquias superesse tertio versu extremo, an binas veteris Λ hastas sinistrorsum conversas. sed, ut dixi, nunc acquiescendum est in ea lectione quam Dessavius suppeditavit: leguntur igitur in tabella ista aenea — cuius mensuras addere eidem superfluum

Digitized by Google



Digitized by Google

302353546V

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICI IORDANI

SYMBOLAE AD HISTORIAM RELIGIONVM ITALICARVM ALTERAE

COMMENTATIO EX INDICE LECTIONVM IN REGIA VNIVERSITATE ALBERTINA PER AESTATEM A. 1885 HABENDARVM SEORSVM EXPRESSA

REGIMONTII
A. 1885
PROSTAT IN OFFICINA HARTVNGIANA

Digitized by Google

D.67/3c

Digitized by Google

I DE FORTVNA IOVIS FILIA PRIMIGENIA PRAENESTINA

Raro accidit ut arcana religionum italicarum spissis undique nebulis saepta introspiciendi facultas detur detecto monumento aliquo earum primigenio et a varroniana doctrina immuni. accidit autem nuper invento Fortunae titulo perantiquo aeneae lamminae inscripto, qui postquam in ephemeride francogallica 'bulletin de la société des antiquaires de France' anni 1882 editus paene delituerat, nunc tandem complurium animos advertit ad fidem ectypi a Mowatio transmissi insertus ab Henrico Dessau Hermae Roberti Kaibeliique a. 1884 p. 453 ss. ac Dessavii quidem exemplum infra adscripsi:

ORCEVIA · NVMERI
NATIONV · CRATIA
FORTVNA · DIOVO · FILEI
PRIMO · ɔENIA
DONOM · DEDI

et haec quidem omnia certae lectionis videntur esse aut certe visa sunt esse editori, nisi quod dubitari posse is adnotavit p. 455, an primo versu extremo FILEA vocabulum perierit: atque in aere quidem Mowatium sibi visum esse tenue primi elementi vestigium observare; sibi nullum comparuisse in ectypo. qua de re, ut nunc res est, quoniam non imagine ectypi verum arte typographi rem agere editori libuit, ut discriptio versuum elementorumque qualis in aere sit, nobis nullum competat iudicium, certi nihil constitui potest. sed tamen spero fore, ut siquis archetypum exemplar accuratius denuo intentis oculis examinaverit, certo agnoscat, id quod res ipsa flagitare videtur, nihil primo versu detractum esse; agnoverit etiam utrum extremo titulo DEDI scalptor dederit, an quod aequo iure, ne dicam meliore requisiveris, DEDE, denique certumne sit *ia* elementorum reliquias superesse tertio versu extremo, an binas veteris Λ hastas sinistrorsum conversas. sed, ut dixi, nunc acquiescendum est in ea lectione quam Dessavius suppeditavit: leguntur igitur in tabella ista aenea — cuius mensuras addere eidem superfluum

Digitized by Google

visum est — verba haec: *Orcevia Numeri (uxor) nationu(s) cratia Fortuna(i) Diovo(s) fileia(i) primo [c]enia(i) donom dedi(t).* ac de sententia quidem tituli — de sermone infra agemus — dubitari nequit, nisi quod *nationu(s) cratia* sive *nationis gratia* utrum pertineat ad liberorum proventum an ad pecorum feturam, de qua antiquis vocabulum nationis familiare fuisse glossa Festi epit. p. 167 testatur, posse dubitari Mommsenus Dessavio indicavit. mihi certum videtur esse, non posse matronam Numeri uxorem donum Fortunae ob pecorum nationem dedisse scilicet ei deae in cuius sacello aedi primariae adiecto castissime mulieres feruntur sacra fecisse. sed ad caput totius quaestionis enucleandum properamus.

prodisse hanc lamminam e praenestinis ruderibus, licet nemo testetur, iure suo statuit editor tam propter Orceviae gentis in eo oppido sedem antiquam quam propter numinis cultum peculiarem eidem et Tullii testimonio et lapidum attributum. idem ex penu titulorum, quos colligit, praenestinorum duo deprompsit, quos inter plus triginta titulos Fortunae primigeniae sacros solos ait ad nostri formam prope accedere. sunt autem hi: *Fortunae Iovis puero primigeniae d(onum) d(edit) ex sorte compos factus Nothus Ruficanae L. f. Plotillae servus* (Grut. 76, 7), *Fortunae Iovi puero ex testamento Treboniae Sympherusae P. Annius Herma heres, l. d. d.* (ib. 76,6). ita legi in titulorum nunc perditorum apographis genuinis, coniecturae autem loco aestimandum esse, quod primo titulo Iacobonius intulerit, *puer,* idem vir doctus auctor est locupletissimus. apparet igitur verum esse, quod Mommsenus Dessavio an persuaserit l. s. s. p. 454 s. nescio, Fortunam Iovis puerum (h. e. filiam) primigeniam tituli recentis eandem esse, quam Fortunam Diovis filiam primogeniam perantiquae lamminae. nam quod Dessavius in titulo recenti utroque Fortunam coniungi cum Iove puero existimavit, viderit ipse quomodo quod in priore lectum est *Fortunae Iovis* (non *Iovi*) *puero primigeniae* explicet. sed dissentiendum mihi est a Mommseno censente in altero titulo recenti, qui sacer erat *Fortunae Iovi puero,* explicando verum vidisse Dessavium. quis enim facile dubitaverit cum haec tria exempla inter se comparaverit *Fortuna(i) Diovo(s) fileia(i) primogenia(i), Fortunae Iovis puero primigeniae, Fortunae Iovi puero,* quin idem unumque in omnibus indigetetur numen, Fortuna Iovis filia primigenia? quare ita censeo, in altero titulo recenti aut apographorum culpa *Iovi* pro *Iovis* propagari, aut *Iovipuero* inducta interpunctione legendum, hoc est *Iovis puero.* hoc solum aliquid dubitationis excitat, quod cum puerum pro filia dixisse audiamus antiquos solumque eius usus praeter haec nostra, quae sunt admodum recentia, exemplum ex Odyssia Andronici supersit, in antiquissimo monumento non puer sed filia Iovis audiat Fortuna. neque vero haec dubitatio quicquam detrahit de tituli illius, qui est *Fortunae Iovis puero primigeniae,* perspicuitate et cum hoc cascae dictionis teste, qui est *Fortuna(i) Diovo(s) filei[ai] primo cenia(i),* similitudine absoluta. e quibus laqueis ne Hercules quidem evaserit, nisi in titulo recenti tres viros illos, qui saeculis decimo sexto septimoque eum descripserunt (v. Dessau p. 454 adn. 1), veram lectionem, quae fuerit *Fortunae primigeniae, Iovis puero,* de consilii sententia atque eventu prorsus miro eundem in modum pessum dedisse scite demonstraverit.

Digitized by Google

solam hucusque lapidum Praeneste oriundorum condicionem aestimavimus. e quibus efficitur, ut Fortuna ibi Iovis filia (sive puer) primigenia et habita sit et dicta. quae cognominatio quo pertineat, infra videbimus. nunc Tullii testimonium illud permirum in causa est, quod libro de divinatione secundo (41, 85 s.) insertum legimus: *Numerium Suffustium . . . perfracto saxo sortis erupisse in robore insculptas priscarum litterarum notis. is est hodie locus saeptus religiose propter Iovis pueri, qui lactens cum Iunone Fortunae in gremio sedens mammam adpetens castissime colitur a matribus. eodemque tempore in eo loco, ubi Fortunae nunc est aedes, mel ex olea fluxisse dicunt;* ex ea autem olea factam esse arcam eoque conditas sortes easque *Fortunae monitu pueri manu* misceri atque duci: *fani pulchritudo et vetustas praenestinarum etiam nunc retinet sortium nomen atque id in volgus.* non immoror enarrandis vel ratiunculis inanibus, quibus alter emblema sat amplum verba Ciceronis occupasse in animum induxit, vel verbosis commentis, quibus alter sinceritatem totius narrationis tutatus est: denique verbo monere sathabeo, quod recte hic exsecutus est, pessimo consilio quosdam *lactens* vocabulum interpolatori tribuisse; lactentis enim cognomentum aetatem pueruli circumscribere neque quicquam illis quae secuntur *mammam appetens* vel praevertere vel inutili cumulatione adicere in propatulo est. hoc agitur, ut quod Tullius planissime edocet, fuisse Praeneste sacellum templumve Iovis Pueri in eoque hunc ipsum cum Iunone Fortunae in gremio lactentem insedisse, fuisse ibidem alio loco, sive vicino sive longe remoto, aedem Fortunae Primigeniae eam, cuius pulcritudo et vetustas vel infimo imperii romani aevo laudibus et admiratione dignae sunt habitae, id ne patiamur interpretum incuria obscurari. et rectissime quidem esse hunc tulliani loci sensum agnovit praenestinarum antiquitatum atque ruderum indagator sollertissimus Horatius Marucchi instituti nostri romani actorum a. 1881 p. 250 ss.; qui tamen num recte contenderit nunc quoque probe dinosci aedi illi, quam Cicero laudat cuiusque ingentia rudera qui Praeneste adiimus mirati sumus, in alto sitae subiectum paulo inferius Pueri Iovis sacellum sortiumque antrum, tum demum diiudicari poterit, cum et ipsius Marucchii et quorundam architectorum francogallicorum studia in redintegrandis praenestinorum aedificiorum reliquiis posita integra manibus nostris versabimur. denique quod pueri manu sortes Fortunae duci dicuntur, hoc loco missum faciamus: pueri ad hoc negotium instituendi consilium an quicquam commune habeat cum Pueri Iovis cultu, nec quaerimus hoc loco neque, utcumque ea de re iudicandum sit, circuli eius quaestionis quam nunc persequimur turbari possint. efficitur igitur e testimonio Ciceronis, ut Primigeniae Fortunae aedes vetusta et pulcra fuerit ibique sortes ductae sint: in templo autem sacellove ab ea discreto, verum fortasse vicino, Fortunae signum fuerit Iovi Puero Iunonique mammam praebentis. iam cum haud paucis exemplis constet tam urbanis quam municipalibus circa primaria numinum templa surrexisse minora eisdem sacra, non dubito quin etiam praenestinum illud templum, quod Iovis Pueri nomine apud Tullium nuncupatur, cum Fortunae, quae matris eius vicem optinebat, religionibus artissime coniunctum fuerit. fuisse igitur illud Fortunae sacellum contendo in eoque cultos cum matre

Digitized by Google

liberos, Iovem Iunonemque. sed huic Fortunae an Primigeniae cognomen fuerit non constat: hoc constat eam Primigeniam, cui lapides illi, tam perantiquus quam recentes, sacri fuere, quamque Iovis filiam primigeniam fuisse audimus, in aede primaria cultam esse. nulla igitur inter lapidum testimonia Tulliumque discordia est: sed quaerendum quid Primigeniae cognomen, quid Iovis patria potestas in altero numine, quid in altero puerorum lactentium caritas significent.

et *primogenius* quidem vocabulum, quam formam volgari quae est *primigenius* anteriorem esse nunc primum didicimus — revertar infra ad explanandam huius vicissitudinis originem — et circa Tullii aetatem obsoletum fuit solique fere Varroni familiare et post eam aetatem paucorum usu propagatum. a Varrone igitur discendum est quid significaverit. qui cum *primigenia semina* contraria habuerit eis, quae coloni experientia postmodo invenerit, *primigenia verba* eis, quae declinationum varietate in species plurimas multiplicata sint, *primigenium* autem *sulcum* — nam haec quoque glossa, quae est apud Festum p. 236, e Varronis libris fluxit — a quo urbis condendae principium fiebat, secreverit ab eis sulcis quibus postmodo agri arabantur, denique *victuis consuetudinem primigeniam* et *pecuariam primigeniam* a cultiorum temporum moribus, certo constat fuisse Varroni *primigenium* quidquid primum genitum sit primaeque servet geniturae signum: hoc est, ut Lucretius ait, *primigenum,* ut Plutarchus, qui ab ampliore interpretatione abstinuit Fort. Rom. c. 10, *πρωτόγονον.* neque aliud quid huic vocabulo aut in paucis recentiorum, quos eo usos esse dixi, scriptorum locis subicitur aut potest subici a quoquam, qui eius genesin recte aestimaverit. quanquam quod de usu recentiorum scriptorum dixi, ut nunc res est, caute dicendum esse scio. perpauca enim huius usus exempla in lexica relata sunt neque nimis multa inveni quamvis quaerendo quae nondum in ea relata sint. sed inter haec omnia exempla, e quibus multum tribuo eis quae extant apud Appuleium atque Arnobium, ne unum quidem inveni, quod ab eo quem statui sensu prorsus discrepet. nam quod aliquotiens in eis primigenium id dictum est quod a principio fuit sive quod vim habet primitivam, nullo discrimine hoc distat ab eo quod primae geniturae signum habet. plerumque autem ad amussim convenit horum scriptorum consuetudo varronianae: veluti cum Arnobius 2, 61 deo concedendum esse dicit ut sciat *supernatum sit aliquid an ortus primigenios habeat,* et ibidem c. 70, cum et Iovem et ceteros deos *certo a tempore* esse demonstrat, idem dicit cadere in Minervam, quippe quae non fuerit *rerum in numero,* ante quam *capite Iovis enata sit: habet ergo primigenios ortus* e. q. s., 'sie hat also ein erstes entstehen.' quod cum non intellegeret editor ultimus, inserta ante *habet* particula *non* sensum sententiamque omnem abstulit. denique prorsus convenit varronianae consuetudini, quod Hercules aliquotiens Primigenius dicitur nimirum Iovis filius, ut infra dicetur, quodque Claudii imperatoris aetate duplicatis legionibus decima quinta et vicesima altera Primigeniae eae putantur dictae esse, quae vetera signa retinuerint. — quae cum ita sint, urbana quoque *Fortuna primigenia* erit primum genita: et si a Praenestinis petita sit, qua de re infra dicam, erit

Digitized by Google

filia Iovi primum nata. unum novi testem qui ceterorum omnium consensum contemnere videtur: est autem Tullius, qui in eo vocabulo explicando ludibundus philosophi partes quam grammatici agere maluit. certe si libro de legibus altero 11, 28 talia dedit: *Fortunaque sit vel Huiusce diei, nam valet in omnes dies . . . . . vel Primigenia, a gignendo comes. tum feriarum festorumque dierum ratio* e. q. s. — videtur autem Turnebus haec recte effecisse ex 'veteris codicis' sive ut nunc rectius dicemus ex archetypi scriptura hac *vel primigeniam a gignendo comes tum*, in quibus *cum estum* in aliquot exemplaribus pravo consilio mutatum est —, haec si dedit Tullius, apparet eum voluisse hanc primigeniam deam hominibus a natu comitem esse, quod tam contra usum vocabuli quam contra compositionis legem eo consilio excogitavit, ut ceteris Fortunae cognominibus *Huiusce diei, Respicientis, Fortis* hoc quoque *Primigeniae* notione ea, *qua expectatio rerum bonarum erigatur* — ita enim ait — quam simillimum redderet. non miror quod is, qui solus sibi videtur horum librorum sensum cepisse, inani exclamatione hanc interpretationem 'et rei et nomini' unice convenientem dixit, scilicet ignarus, quid sibi indulserint illius aetatis homines docti in eliciendis reconditioribus nominum divinorum sensibus et plane alienus ab omni cura explicandi vocabuli *primigenius*. hoc miror quod Marucchius hoc cognomen ad significandam caritatem liberorum in gremio eius sedentium aptum esse dixit l. s. s. p. 251 quodque Prellerus 2[3], 190 Primigeniam deam praenestinam non solum primum genitam verum etiam omnium rerum genetricem fuisse ex nominis veriloquio sibi persuasit. sed priusquam de huius notione latius quaeram, historiam eius certis finibus circumscribam.

Romae igitur — ut paucis conprehendam de quibus dixi ephemeridis arch. berol. a. 1871 p. 77 ss. ad Prellerum 2, 183 adn. 3 — *Fortunae publicae primigeniae* (vel *Fortunae primigeniae*) *in colle* factum esse die 25 Maii coniunctis kalendariorum venusini et esquilini testimoniis, die 14 Novembris solo arvalium constat: de illo die idem testatur Ovidius Fast. 5, 729, ubi haec extant: *nec te praetereo, populi fortuna potentis publica, cui templum luce sequente datum.* voverat hanc aedem P. Sempronius Tuditanus Sophus cos. anno varroniano 548 teste Livio 29, 36, 8: locasse eam eundem censorem falso idem testatur 34, 53, 6 quippe functum potestate censoria a. 545; at dedicasse eam anno 560 Q. Marcium Rallam duumvirum ad id ipsum creatum eidem testanti ibidem credendum erit. appellatur dea a Livio *Fortuna Primigenia* tam his locis quam libro 43, 13. quare quod in esquilino kalendario lectum est ad d. 25 Maii *Fortun. publ. pr. incoll.* sine dubio legendum *Fortun(ae) publ(icae) pr(imigeniae)*, non *p(opuli) r(omani)*, neque ulla dubitatio oritur, ut visum est Mommseno, a novo kalendarii caeretani ad eundem diem testimonio (v. ephemeris epigr. a. 1877 p. 7. 9) *Fortunae p(ublicae) p(opuli) r(omani) Q(uiritium) in colle quirin(ali)*, cuius notas in hunc modum esse solvendas certum est. in nullo igitur kalendariorum testimonio plenum deae nomen perscriptum est: audisse enim in libris pontificiis *Fortunam publicam populi Romani Quiritium primigeniam* recte statuerat Mommsenus ante inventum caeretani kalendarii testimonium: *primigeniam*, non *publicam*, volgari usu nuncupari solitam ipsa testimonia Livii, Ciceronis, kalendariorum fidem

Digitized by Google

faciunt. quare non dubito quin tituli urbani *Fortunae primigeniae* sacri, quorum unus a liberto Neronis dedicatus est (CIL 6, 192—195), ad eam ipsam deam spectent, quae in colle colebatur. hanc autem Fortunam fuisse unam de tribus proxime portam collinam, quarum et Vitruvius meminit 3, 2, 2 et Crinagoras anth. plan. 40, 4 quarumque secundam ad diem 5 April. commemorant kalendarium praenestinum his verbis: *Fortunae publicae citerio[ri] in colle,* et Ovidius Fast. 4, 375 his: *sacrata est colle Quirini hac Fortuna die publica* (falso ibi liber ilfeldensis itemque falso libri Iuvenalis 2, 134 *valle Quirini*), amplius persecutus sum eph. arch. l. s. s. praeter hanc autem urbanam Fortunam eamque quae a Praenestinis colebatur nullius adhuc vel in Italia vel in provinciis ullum vestigium est inventum, quae eodem Primigeniae cognomine usa sit: quid quod ne aliorum quidem numinum usquam ullum novimus quod Primigenium vocatum sit praeter unum *Herculem Primigenium,* quem et Ostippone Baeticae cultum esse titulus CIL 2, 1436 et alibi orelliani, quos citavit Hübnerus, 1545. 2463 — de quibus tamen iudicium cohibeo — testantur. iam quoniam supra vidimus vocabulum *primigenius* omni tempore sensum eundem retinuisse, nescio quid aliud *Hercules primigenius* nimirum aetate sat recenti cultus possit significasse nisi *Iovis filius primigenius*: et amore fuisse Herculem patri primigenium licet non fuerit natura, Graecorum religionibus familiare fuit. ipsa igitur vocabuli cognominisque *primigenius* historia vel maxime confirmatur, quod ex rerum gestarum memoria Prellerus optimo iure conclusit 2, 191 s., Fortunam Primigeniam nullam fuisse Romae antequam Praenestini bello punico secundo de re publica romana Casilini optime meriti sint: tum demum Praenestinorum Fortunam Iovis filiam primigeniam tramigrasse in urbem ibique decurtato vetere nomine inter Fortunas eas, quae ad portam collinam colebantur, sedem novam accepisse. pendent igitur Primigeniae urbanae et nomen et sacra a praenestinae deae singulari condicione.

iam primum etiam Praenestinos vel antiquis temporibus a pleno deae nomine perscribendo aliquotiens abstinuisse testes sunt tituli CIL 1, 1133 ubi *Fortuna(i) Prim(i)g(eniai),* 1129. 1130, ubi *F(ortunae) P(rimigeniae)*: nam quod *P(raenestinae)* an *P(rimigeniae)* legendum sit quidam dubitaverunt, sciens praetermitto. idem volgo factum est aetate posteriore, ad quam plus triginta illi, quos novit Dessavius l. s. s. p. 453, tituli pertinent Fortunae Primigeniae sacri. neque vero haec breviatio originem cognominis ullo modo obscurat: nam ut supra dictum est *primigenia* vocabatur dea propterea quod *primigenia Iovis filia* vel *puer* esse credita est. non fugit Mommsenum l. s. s. p. 455 cognationes numinum atque etiam hominum divorum in titulis sacris non solere verbis exprimi: commemorationem igitur cognationis Primigeniae in titulis praenestinis documento esse, quam vivida forma humanaeque simili huius Fortunae imago Latinorum animis obversata sit. sed primum quod ille de titulis sacris recte animadvertit, longe latius patet. scilicet per totum religionum italicarum orbem coniugia deorum quae quidem videantur esse maxime temporibus antiquissimis obviam sunt, liberorum procreatio nulla est umquam. ac ne de coniugiis quidem nimis confidenter dicendum quo iure signi-

Digitized by Google

ficaverim breviter indicabo. primum igitur nil cum sorte coniugii Libero Liberae, Fauno Faunae, Rumino Ruminae, et si quae sunt alia id genus numina; sunt autem ea paucissima etiam inter ea quae ex indigitamentis excerpserat Varro. nempe cum saepe dubitaretur de genere numinis divini, quae dubitationes cum solvi plane non possent, *si deo si deae* factum esse scimus, aliquotiens ad effingendum duplex eiusdem virtutis numen alterum masculum alterum femineum homines confugisse non mirum est. quanquam in his quoque, velut in Libero Libera, admodum dubium est, utrum primigenia ea fuerint paria, an quod a principio masculum fuerit ei postmodo addita sit femina. sed videntur quodammodo ad coniugale consortium pertinere, quod olim monui, nominum paria generis utriusque ad eum modum copulata, quo mariti uxorisque inter homines italicos nomina copulantur, hoc est solo genetivi qui dominium potestatemque significat vinculo. nam ut *Caecilia Metelli* vel *Terentia Ciceronis* coniuges dicuntur, ita videntur dici latine *Lua Saturni*, umbrice *Vesune Puemunes* (v. mea in Prellero 1, 454). at in illo conprecationum fragmento, quod Gellii sollertiae 13, 23 debemus, inter complura id genus nomina quae coniugum videntur esse habemus *Heriem Iunonis*, *Virites Quirini*, *Moles Martis*, de quibus adhuc dubitabatur, praeter *Nerienem* dei eiusdem. has autem *Moles* nunc e redivivo kalendarii cumani fragmento certo constat plurali numero pariter ut *Virites* dictas esse: ut facile quis Mommseno adsentiatur Hermae a Roberto Kaibelioque editi 17, 637 catalogum parium divinorum gellianum potius a numinum feminilium, quae opem ferrent sive mari sive feminae, explicandum esse censenti. nihilo minus vix negaveris, hominibus cum Luam cum Saturno, Vesunem cum Puemune genetivi vinculo copulaverint, non potuisse eis excidere coniugalis societatis vim sententiamque eodemque pertinere Iunonem sociatam cum magno Iove, Opem cum Saturno. extant autem quibus hoc ita esse comprobetur certissima de Neriene Martis uxore testimonia conlecta a Gellio eo loco, ubi comprecationis illius verba edissertavit, Plauti Truc. 2, 6, 34 (515), Licinii Imbricis in Neaera, precationis a Gellio annalium scriptore Hersiliae attributae. et huic quidem, ubi Neria Martis *coniux* vocatur, artificiosi operis signum inesse allitterationem supra modum excultam indicavi Symbolarum crit. p. 181. 188. Plautum qui idem significavit — idque etiam ad Imbricem pertinet — haud imperite *homo non incelebris* reprehenderat male mulcatus ob id a Gellio scilicet gellianae precationis tanquam ab ipsa Hersilia apud Titum Tatium oratae putido admiratore. ne multa: ita comparata sunt haec testimonia, ut comprobent quod dixi, volgari hominum opinione feminini numinis cum masculo coniunctionem non potuisse non pro coniugali aestimari; quod contra primigeniam si respicias vel ut clarius quod sentio patefaciam, pontificiam eius formam, humani huius consortii vix ullum relinquitur vestigium.

patris et matris cognominibus antiquissima aetate complura numina appellata esse constat: paucorum nominibus procedente tempore ea cognomina adhaesere (v. quae dixi in Prellero 1, 56, ubi matribus Flora adicienda erat ita a Lucretio cognominata). dixeris patri et matri convenire liberos. verum ne unum quidem praeter Puerum Iovem in gremio Fortunae sedentem Fortu-

Digitized by Google

namque primigeniam Iovis filiam extat exemplum dei deaeve, qui aut aetatem puerilem aliquo modo prae se ferant aut filii dicti sint: neque enim vereor nequis Caeculum Volcani filium e praenestinis qui feruntur libris arripiat, oppidi conditorem, aut Herculem pusillum bullatumve a Graecorum traductum poematis artificiisque aut iuvenili, non pueri, forma indutum Veiovem. sed supersunt dearum imagines sat multae argilaceae, repertae illae in Campania, quae sedentes in gremio fovent liberos parvulos. eae quo nomine donandae sint, nunc quoque disceptatur. eandem formam referunt aliquot imagines Eponae deae eamque e *κουροτρόφου* archetypo expressam esse satis constat (v. quae adnotavi in Prellero 2, 227 s.). his imaginibus dearum quae matris cognomine antiquo uterentur naturam optime significari consentaneum est. ad earundem exemplar equidem ego praenestinum Fortunae signum redintegraverim non Primigeniae, verum illius, quam Puerum Iovem Iunonemque parvulam, singularia inter italicas religiones numina, fovisse vidimus. et quaerendi quidem demonstrandique via solida ad hunc usque terminum pertinet: nimirum certis argumentis tam Puerum Iovem in gremio Fortunae alterius sedentem quam ipsam Fortunam alteram Diovis filiam primogeniam a similium sacrorum comparatione prorsus destitui ostendimus. quod reliquom est, ut quid moverit cives Praenestinos ut bina haec numina abnormi consilio efficta colerent, suspicionibus indagemur, bonae fortunae magis quam bonae spei opus esse aestimaverim. quare quod mihi de his rebus constat, extremo commentario paucis timidisque verbis explicabo. nunc revertendum est unde profecti sumus, ad titulum ipsum lamminae aeneae inscriptum. de cuius scriptura, sermone, aetate breviter absolvam.

ac primum quidem quod de scripturae genere elementorumque formis in ea tituli antiquitate editor tacuit, vehementer doleo. nostra enim quam maxime intererat scire, A an Ⱥ dederit scalptor, N et P quibus figuris effinxerit similia. quod solum nunc praeter *l* litterae formam acuminatam comperimus in PRIMO · ↄENIA vocabulo primam secundi membri inversam scriptam esse, recte suspicatus est editor p. 455 adn. 1 huius conversionis rationem vix posse ad mediam significandam pertinere. haud semel certe in prisca scriptura dextrorsum conversa singula elementa sinistrorsum conversa deprehensa sunt, veluti, qua de re monui Symb. crit. p. 6, *Ɐercles* scriptum in cista praenestina. quanquam quis facile spondeat in montibus praenestinis eo tempore, quo in urbe novum elementum *g* ordini litterarum recens insertum erat, non unum alterumve e numero doctorum in hunc modum attentasse signi novi inventionem? et notum est vel temporibus recentioribus similia esse attentata, velut Ꝺ a Paelignis latinae litteraturae inserta est (v. Symb. p. 160). sed ego in hoc deverticulum nolo me abripi, cum praesertim etiam *cratia* vocabulum mediae figuram ignoret. quodsi eam bis vitaverit scalptor, facile eo adducor ut hanc lamminam ei tempori tribuam, quo cistae speculaque praenestina pleraque inscripta esse constat, hoc est ante initium saeculi u. c. sexti. convenit huic aetati *o* insertum declinationis secundae finali in vocabulo *donom* v. 5, convenitque quam maxime, quod supra dixi nunc primum hoc titulo praeter ambages nos edoceri, in vocabulo composito ***primocenia***

Digitized by Google

v. 4 — nam de puncto inter utramque partem inserto non est quod dicam — vocalem, quae utriusque membri commissuram occupat, antiquis fuisse *o*, recentiore tempore *i*. scilicet *primogenius* formae nisi me fallit opinio certa praeter hoc nostrum nulla extant exempla: certe quod apographa quaedam saeculi XV sola in Varronis de lingua latina libro 6, 36 pro *primigenia* exhibent *primogenii*, nihili esse consentaneum est. est autem haec forma inter paucissimas quasdam eiusdem generis perantiquas, veluti *albogalerus*, non *albigalerus*, quaeque non plane eis similia sunt *viocurus, aurufex, crassupes* ceteras, in quibus vocalis illa antiquior aut numquam expulsa est aut mansit in non nullis monumentis priscis. cuius mutationis legem nostri grammatici vix attigerunt. ne hoc quidem video eos animadvertisse vel secundo tertiove p. C. saeculo duplicem formam *primopilaris* et *primipilaris* in titulis in promiscuo habitam esse. et de his quidem, licet ante editos sepulcrorum titulos urbanos omnes non possit absolvi, tamen iam nunc iudicium sat probabile tuleris. nam cum *primus pilus* et *primipilaris* secundum regulam litteris singularibus *p. p.* scribantur, extant tamen perscripta aut semiperscripta haud ita raro: exempli causa in CIL tomis 3. 7. 8. 9. 10 habes *primipilaris* scripturae exempla tredecim, *primopilaris* quattuor. frequentius autem ut par est homines ea forma usi sunt, quae secundum normam classici sermonis exacta erat. sed tamen ne in hoc quidem vocabulo volgaris antiquiorque consuetudo radicitus sublata est. — porro sincerae vetustatis praenestinique sermonis peculiare signum genetivus est *Diovo(s)*. nam posse etiam de dativo cogitari, quo iure editor suspicetur p. 454 adn. 2, plane ignoro. in cista praenestina, de qua dixi Symb. crit. p. 7, praeter aliorum nominum nominativos *Iovos* et *Diama* leguntur. et hoc quoniam manifesto scalptoris errori debetur, tum quidem *Iovos* quoque errore potius quam consilio procreatum esse dixi: negavi autem cogitari posse de *Iovis* nomine secundae declinationi inserto, quoniam Oscorum Umbrorum aliarum gentium italicarum sermone pariter atque latino tertiae id nomen constanter attribuatur. nunc quid rei sit rectius perspicio. nam et nominativus *Iovis* et genetivus *Diovis* Praenestinis *i* vocali in *u* obscurata, quod item factum esse in *nationu(s)* genetivo videmus, *Iovus* et *Diovus* sonabant. at praecedens vocali vau ut alibi ita hic quoque *u* vocalem rursus in *o* abire coegit. rectissime igitur utraque forma se habet neque ullo distat discrimine a mutandi sonos norma ea, cui Praenestinorum Latinorumque sermo parebat. — supersunt omissa dativorum *i* dubiaque verbi *dedi* ultima, de qua initio monui, *i* vel *e*, denique *ei* pro *i* scriptum in *fileia*. ac de illis quidem nota recoquere nihil attinet. de hoc sic habeto. *decreivit, pleibes* quodque nuper e praenestino titulo cognovimus *leigibus* unde diphthongon traxerint, vix crediderim amplius disceptatum iri: *fileia* qui scripsit pro *filea*, quod veterum Praenestinorum sermonem admisisse cuivis notum est, mihi videtur haud magno dictionis discrimine ab eo diremptus esse, qui decantatum illud *inpeirator* monumento publico intulit. scilicet etiam *e* breve in sonum *i* declinabat sive id vocali praecederet sive consonae liquidae: verum in monumentis saeculo sexto recentioribus eiusmodi declinationes magis magisque evanuere. qua de re dixi Symb. p. 28 et prooemii a. 1883/4 p. 13 s. ne tamen dissimu-

Digitized by Google

mulem quod sentio, suspicari me confiteor — et confessus sum initio huius commenti — posse ultimos versus tertii ductus esse binas A veteris hastas sinistrorsum versas, ut forsitan *filea(i)*, non *filei[ai]* legendum sit. de ea suspicione qui aes usurpaverit facili opera diiudicaverit.

redeo in viam. supra significavi extremo me commentario, quid mihi de aenigmatis ibi enarrati solutione constet, primis lineis esse adumbraturum scilicet haud ignarum quid deceat eum, qui Aboriginum regiones attingat. Fortuna igitur praenestina Iovis filia primigenia antiquitus vaticinio sortium inclaruit, cuius *oraclum patebat* die 11 Aprilis. late sparsum per gentes Italorum hoc vaticinii genus solumque fuisse, quod in terra Italia inde a principio excultum sit, satis certo constat itemque constat ab hoc primigenio vaticinandi usu pendere sortium posteri temporis versibus latinis inscriptarum, quarum nova exempla parmense museum suppeditavit (v. Instituti romani actorum a. 1883 p. 100 ss.), artificium formamque (v. quae dixi de his rebus in Prellero 1, 382. 2, 190). migravit deinde Romam dea punici belli secundi tempore ibique modestiore cultu, dempto iure vaticinii, inter numina publica populi romani Quiritium recepta est. sed in patria, ubi in cacumine montis oppido in rupibus praestantibus — unde credebatur nomen habuisse — condito imminebat, ea esse civibus dignitate, ea ad regendas vices humanas potentia visa est, ut, haud secus atque Romae in Capitolio Fides publica populi romani, magni Iovis, quo inter deos deasve italicos maior nullus, vicina eiusque consiliis proxima esse existimaretur. quod societatis genus homines casci eiusque aetatis, cuius paene nulla ad litteras romanas propagata sunt vestigia, monumentis sermonis ceterique cultus perpauca, cum non possent non a procreationis similitudine nuncupare, vatem deam nuncuparunt Diovis filiam primogeniam. inauditum vidimus hoc esse numinibus humanam sortem tribuendi inter romana certe sacra consilium. verum superest exemplum haud absimile alterum, quod, si non ad ipsos deos deasve, ad sacrorum certe ritum pertinet. nam conlegiorum sacrorum quae Romae fuerint unum novimus idque antiquissimum, quod conlegiale officium cognationis nomine honorabat: arvales fratres. quod fraternitatis nomen inter saliorum, lupercorum ceterorumque conlegiorum antiquissimorum nomina sui simile habet nullum. at latius olim inter Italos hanc cogitandi rationem patuisse uni cuique facile persuaserit conlegii iguvini fratrum Attiediorum nomen. — sed primigeniae illius vatis aedi vidimus vicinum fuisse Fortunae matris sacellum castissime a matronis cultae. huic cum Puerum Iovem Iunonemque in gremio fuisse audimus, satius erit non hariolari de causa singularis huius religionis: sed tamen quis miretur, quod ea aetate, quam hominum cascorum Aboriginumve esse dixi, Fortunae muliebris numen, quod Romae quoque cultum est, visum sit non hominum solum liberos materno amore fovisse, verum etiam summos deos, quos natos esse romana certe religio admisit, quasi parvulos lactentes? nec desunt vestigia, divinum numen Italis notum fuisse deis deabusve omnibus et hoc ipso in quo vivimus mundo antiquius. nec mirum est profecto, quod matronae praenestinae, inter quas est Orcevia Numerii nostra, *nationis gratia* non solum in sacello Fortunae muliebris fecerunt, verum

Digitized by Google

etiam in aede Fortunae primaria. — unum superest de quo me plane caecuttire profiteor. notum est in nummo M. Plaetorii Cestiani (de quo v. Mommsenus rei num. p. 622 n. 261 *g*) ab altera parte cerni caput iuvenile imberbe, ab altera caput imberbe super sortis tabellam, cui *sors* vocabulum inscriptum est. solet haec imago ope tulliani testimonii, quod supra enarravi, explicari: nimirum hunc esse puerum eum, cuius manu Cicero in templo Fortunae primigeniae sortes misceri et duci dixerit. sed mihi semper suspicio subnata est, camilli vel ministri sacrorum vix posse imaginem numo incusam esse. et quoniam Pueri Iovis in gremio Fortunae simulacrum in sacello cultum est eo loco aedificato, ubi sortes invenerat Numerius Suffustius, nescio an eiusdem Pueri partes fuerint aliquae in magna aede Primigeniae, ut puer in numo excusus pro numine habendus sit. sed talia suspicor: argumentis quoniam conprobare non possum, non obloquar siquis somnia nugasve vocaverit. sed de Primigenia filia Iovis ita posse iudicari, uti supra dixi, teneo neque aliam explicandi rationem facile inveniri posse crediderim. nam quod solum relinqui videtur, ut ad Graecorum fabulas confugiamus, id procul arcendum esse mihi persuasi. scio similia placuisse graecis poetis, fortasse etiam in populorum graecorum religionibus orta esse: veluti liberatoris Iovis filia Fortuna sospes vocatur a Pindaro in praeconio olympionicae himerensis, a quo pendet Horatius carmine libri primi 34. nec defuturos esse scio qui, cum meminerint in tiburtinis Iunonis Curritis sacris haud ambiguum graeci ritus vestigium deprehendi, currum clupeumque ex Heraeis Argeorum petitum (v. quae dixi in Prellero 1, 279 adn. 3), praenestinis quoque sacris Graecorum sapientiam insinuasse cupidius sumpserint; intenderint etiam digitum ad antiquissimum sortium quibusdum in Graeciae regionibus usum versibusque ad exemplar Graecorum vaticinandi artificium non nimis illud recenti tempore ad italicas gentes delatum. quibus de rebus omnibus non solum minime ignoro paucis absolvi non posse verum etiam eo loco, de quo diu in votis est ut meam aperiam sententiam, quam potero accuratissime disputabo. nunc satis habeo eas rationes capitulatim indicasse, quibus Iovis filiam primigeniam antiquissimis Italorum religionibus inseram.

Digitized by Google

II DE BELLONAE POCVLO

Alteram harum symbolarum partem exemplum accurate factum esse volui poculi nunc parisini, quod Bellonae fuisse titulus ei inscriptus edocet. de eo quod lectoris scire interest paucis comprehendam: pluribus de poculorum litteratorum genere universo dictum est Annalium instituti romani eo volumine quod hoc anno typothetae prela exercet. adiciam deinceps quae ad illustrandum hoc monumentum artis religionisque cascae nunc potissimum acquisivi.

Digitized by Google

Bellonae igitur poculum cum quo gentium pervenisset ex museo Campanae non constaret, mira autem de archetypo, quod Romae usurpasset, Garruccius evolgasset Sylloges n. 477 quaeque cum eo exemplo, quod olim inde ab Henrico Brunn exceptum Ritschelius PLM t. XI*G* publici iuris fecit, dissensu notabili pugnarent, operae pretium facturus esse mihi videbar, si archetypi denuo examinandi facultatem nanciscerer. a Brunnio igitur edoctus, posse poculum Lutetiam Parisiorum delatum esse, Gastonem Boissier, cuius comitatem plus semel Romae expertus eram, precibus adii, ut inter parisinos thesauros musei 'du Louvre' perditum opus anquireret. nec mora: extare enim ibi celerrime me monuit idemque et hoc quod supra hominum doctorum usui subieci exemplum transmisit et observationes quasdam suas coram archetypo factas mecum communicavit. iam igitur clarius apparet — nam in lithographo Ritschelii exemplo non nulla parum dilucide comparuere antiqui pictoris artificia — rectissime nos hucusque iudicasse serpentes esse insertos feminae crinibus neque vero 'floream' quam Garruccius ad sustentandum *belolai* vocabuli interpretationem falsam *καλῆς* finxit 'coronam'. quod ut quivis qui nostrum exemplum oculis usurpaverit sua sponte agnoverit, ita in archetypo praeter omnem dubitationem comparere, cum praesertim a subfusco crinium colore serpentes candidi optime distinguantur, auctor mihi est quem supra laudavi Boissierus. cetera omnia artificem parisinum, Housselin, tam accurate expressisse idem testatur, ut praeter rimam exiguam, quam inter caput et tituli litteram *b* indumentum coloris egerit — eamque Brunnius in ritscheliano exemplo expressit — prorsus nihil ab archetypo discrepet: expressis autem verbis mihi confirmavit tituli elementa omnia clarissime comparere neque ullam posse de quinto nominis, quod posse *n* fuisse olim creditum est, moveri dubitationem. hoc solum idem vir doctus indicare omisit, Housselinum consulto, ut videtur, marginis ornamentum, hederaceam coronam — quam videris in ritscheliano exemplo — omisisse. est autem gemina ei, qua poculi recens inventi et verbis *iunonenes* (sic) *pocolom* inscripti margo contegitur: quod vasculum l. s. s. inlustravi.

principem hoc poculum locum inter quattuordecim, quae adhuc innotuere, eiusdem generis monumenta facile occupaverit. nam cetera omnia aut carent figuris aut alatorum geniorum variis lusibus intentorum, quos erotes dicere par est, ornata sunt. qua de re abunde dictum est l. s. s. in solo igitur Bellonae poculo numinis eius cuius id fuisse apparet imago efficta est. neque enim dubitari potest, quod olim monueram, imaginem esse deae Enyus, cuius nomen quicumque Bellonae graeco sermone meminere latino substituunt. sed tum cum primum hoc haud ita confidenter pronuntiabam (Annalium a. 1872 p. 54), graeci numinis imagines nostro similes videbantur desiderari. at paulo post in speculo praenestino edito Monumentorum instituti volumine octavo t. LVI, 2 comparuit *Enie*, tusci artificis figura, rugis illa quidem aliisque vetuli habitus insignibus ab hac nostra, quae virginis iuvenisve mulierculae vitam spirare videtur, satis diversa, sed eadem ei simillima serpentium crinibus insertorum ornatu. recte enim Kekuleius, qui speculi huius interpres fuit, deae tribuit 'capelli simili alquanto a quei d'una Medusa' (Annalium a. 1873 p. 127), sed idem immemor fuit nostrae imaginis. certum igitur esse aio

Digitized by Google

Enyus imaginem Medusae similem in hoc poculo pictam esse. quid circuli maculaeve utrinde positi significent nunc quoque ignoro. quae cum ita sint nullus dubito quin praeter Garruccium vel contumacissimi falsae opinionis laudatores nunc concesserint, incuria pictorem *belolai* dedisse quod *belonai* debuit esse, cum praesertim bini praeter leviculum hunc lapsum errores pictorum eique sat graves in ceterorum poculorum titulis supersint *pococolom* et *iunonenes* scripta cum falsa syllabae integrae repetitione. praeterea nihil dixerunt qui *Duelonai* formam requisiverunt: nam ut *Diovis* et *Iovis* eiusdem aetatis esse constat vel solis cistarum speculorumque praenestinorum testimoniis, ita quis quaeso demonstraverit inauditum fuisse *Belona* eo tempore quo *Duelona* frequentabatur?

Plauti tempore Romae Bellonam cum Marte militum patronam fuisse Cleomachi in Bacchidum v. 847 ius iurandum patefacit. eodem tempore in pervetere huius deae aede in circo Flaminio dedicata senatus populi romani conveniebat, siquando extra pomerium conveniendi bellique iura disceptandi facultas dabatur. poculum Bellonae cum poculis omnibus quotquot adhuc inventa sint deorum latinorum sacris aetate Plauti antiquius est. in his poculis quae reperta sunt nomina deorum Saturni, Volcani, Keri, Aesculapii, dearum Iunonis, Minervae, Bellonae, Veneris, Salutis, Curae, Aequitiae, Fortunae, Lavernae, ea tum temporis non solum Romae verum inter latinae gentis latinique sermonis homines cultos esse consentaneum est. dixeris Bellonae poculum militis alicuius sepulcro inlatum esse, sive is in tusco municipio, unde suspicamur prodisse poculum, vixerit, sive alibi. de his quoque rebus amplius dictum est Annalium loco s. s.

Datum Regimontii d. 10 Nov. 1884.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

mulem quod sentio, suspicari me confiteor — et confessus sum initio huius commenti — posse ultimos versus tertii ductus esse binas A veteris hastas sinistrorsum versas, ut forsitan *filea(i)*, non *filei[ai]* legendum sit. de ea suspicione qui aes usurpaverit facili opera diiudicaverit.

redeo in viam. supra significavi extremo me commentario, quid mihi de aenigmatis ibi enarrati solutione constet, primis lineis esse adumbraturum scilicet haud ignarum quid deceat eum, qui Aboriginum regiones attingat. Fortuna igitur praenestina Iovis filia primigenia antiquitus vaticinio sortium inclaruit, cuius *oraclum patebat* die 11 Aprilis. late sparsum per gentes Italorum hoc vaticinii genus solumque fuisse, quod in terra Italia inde a principio excultum sit, satis certo constat itemque constat ab hoc primigenio vaticinandi usu pendere sortium posteri temporis versibus latinis inscriptarum, quarum nova exempla parmense museum suppeditavit (v. Instituti romani actorum a. 1883 p. 100 ss.), artificium formamque (v. quae dixi de his rebus in Prellero 1, 382. 2, 190). migravit deinde Romam dea punici belli secundi tempore ibique modestiore cultu, dempto iure vaticinii, inter numina publica populi romani Quiritium recepta est. sed in patria, ubi in cacumine montis oppido in rupibus praestantibus — unde credebatur nomen habuisse — condito imminebat, ea esse civibus dignitate, ea ad regendas vices humanas potentia visa est, ut, haud secus atque Romae in Capitolio Fides publica populi romani, magni Iovis, quo inter deos deasve italicos maior nullus, vicina eiusque consiliis proxima esse existimaretur. quod societatis genus homines casci eiusque aetatis, cuius paene nulla ad litteras romanas propagata sunt vestigia, monumentis sermonis ceterique cultus perpauca, cum non possent non a procreationis similitudine nuncupare, vatem deam nuncuparunt Diovis filiam primogeniam. inauditum vidimus hoc esse numinibus humanam sortem tribuendi inter romana certe sacra consilium. verum superest exemplum haud absimile alterum, quod, si non ad ipsos deos deasve, ad sacrorum certe ritum pertinet. nam conlegiorum sacrorum quae Romae fuerint unum novimus idque antiquissimum, quod conlegiale officium cognationis nomine honorabat: arvales fratres. quod fraternitatis nomen inter saliorum, lupercorum ceterorumque conlegiorum antiquissimorum nomina sui simile habet nullum. at latius olim inter Italos hanc cogitandi rationem patuisse uni cuique facile persuaserit conlegii iguvini fratrum Attiediorum nomen. — sed primigeniae illius vatis aedi vidimus vicinum fuisse Fortunae matris sacellum castissime a matronis cultae. huic cum Puerum Iovem Iunonemque in gremio fuisse audimus, satius erit non hariolari de causa singularis huius religionis: sed tamen quis miretur, quod ea aetate, quam hominum cascorum Aboriginumve esse dixi, Fortunae muliebris numen, quod Romae quoque cultum est, visum sit non hominum solum liberos materno amore fovisse, verum etiam summos deos, quos natos esse romana certe religio admisit, quasi parvulos lactentes? nec desunt vestigia, divinum numen Italis notum fuisse deis deabusve omnibus et hoc ipso in quo vivimus mundo antiquius. nec mirum est profecto, quod matronae praenestinae, inter quas est Orcevia Numerii nostra, *nationis gratia* non solum in sacello Fortunae muliebris fecerunt, verum

Digitized by Google

etiam in aede Fortunae primaria. — unum superest de quo me plane caecuttire profiteor. notum est in nummo M. Plaetorii Cestiani (de quo v. Mommsenus rei num. p. 622 n. 261 *g*) ab altera parte cerni caput iuvenile imberbe, ab altera caput imberbe super sortis tabellam, cui *sors* vocabulum inscriptum est. solet haec imago ope tulliani testimonii, quod supra enarravi, explicari: nimirum hunc esse puerum eum, cuius manu Cicero in templo Fortunae primigeniae sortes misceri et duci dixerit. sed mihi semper suspicio subnata est, camilli vel ministri sacrorum vix posse imaginem numo incusam esse. et quoniam Pueri Iovis in gremio Fortunae simulacrum in sacello cultum est eo loco aedificato, ubi sortes invenerat Numerius Suffustius, nescio an eiusdem Pueri partes fuerint aliquae in magna aede Primigeniae, ut puer in numo excusus pro numine habendus sit. sed talia suspicor: argumentis quoniam conprobare non possum, non obloquar siquis somnia nugasve vocaverit. sed de Primigenia filia Iovis ita posse iudicari, uti supra dixi, teneo neque aliam explicandi rationem facile inveniri posse crediderim. nam quod solum relinqui videtur, ut ad Graecorum fabulas confugiamus, id procul arcendum esse mihi persuasi. scio similia placuisse graecis poetis, fortasse etiam in populorum graecorum religionibus orta esse: veluti liberatoris Iovis filia Fortuna sospes vocatur a Pindaro in praeconio olympionicae himerensis, a quo pendet Horatius carmine libri primi 34. nec defuturos esse scio qui, cum meminerint in tiburtinis Iunonis Curritis sacris haud ambiguum graeci ritus vestigium deprehendi, currum clupeumque ex Heraeis Argeorum petitum (v. quae dixi in Prellero 1, 279 adn. 3), praenestinis quoque sacris Graecorum sapientiam insinuasse cupidius sumpserint; intenderint etiam digitum ad antiquissimum sortium quibusdum in Graeciae regionibus usum versibusque ad exemplar Graecorum vaticinandi artificium non nimis illud recenti tempore ad italicas gentes delatum. quibus de rebus omnibus non solum minime ignoro paucis absolvi non posse verum etiam eo loco, de quo diu in votis est ut meam aperiam sententiam, quam potero accuratissime disputabo. nunc satis habeo eas rationes capitulatim indicasse, quibus Iovis filiam primigeniam antiquissimis Italorum religionibus inseram.

Digitized by Google

II DE BELLONAE POCVLO

Alteram harum symbolarum partem exemplum accurate factum esse volui poculi nunc parisini, quod Bellonae fuisse titulus ei inscriptus edocet. de eo quod lectoris scire interest paucis comprehendam: pluribus de poculorum litteratorum genere universo dictum est Annalium instituti romani eo volumine quod hoc anno typothetae prela exercet. adiciam deinceps quae ad illustrandum hoc monumentum artis religionisque cascae nunc potissimum acquisivi.

Digitized by Google

Bellonae igitur poculum cum quo gentium pervenisset ex museo Campanae non constaret, mira autem de archetypo, quod Romae usurpasset, Garruccius evolgasset Sylloges n. 477 quaeque cum eo exemplo, quod olim inde ab Henrico Brunn exceptum Ritschelius PLM t. XI*G* publici iuris fecit, dissensu notabili pugnarent, operae pretium facturus esse mihi videbar, si archetypi denuo examinandi facultatem nanciscerer. a Brunnio igitur edoctus, posse poculum Lutetiam Parisiorum delatum esse, Gastonem Boissier, cuius comitatem plus semel Romae expertus eram, precibus adii, ut inter parisinos thesauros musei 'du Louvre' perditum opus anquireret. nec mora: extare enim ibi celerrime me monuit idemque et hoc quod supra hominum doctorum usui subieci exemplum transmisit et observationes quasdam suas coram archetypo factas mecum communicavit. iam igitur clarius apparet — nam in lithographo Ritschelii exemplo non nulla parum dilucide comparuere antiqui pictoris artificia — rectissime nos hucusque iudicasse serpentes esse insertos feminae crinibus neque vero 'floream' quam Garruccius ad sustentandum *belolai* vocabuli interpretationem falsam *καλῆς* finxit 'coronam'. quod ut quivis qui nostrum exemplum oculis usurpaverit sua sponte agnoverit, ita in archetypo praeter omnem dubitationem comparere, cum praesertim a subfusco crinium colore serpentes candidi optime distinguantur, auctor mihi est quem supra laudavi Boissierus. cetera omnia artificem parisinum, Housselin, tam accurate expressisse idem testatur, ut praeter rimam exiguam, quam inter caput et tituli litteram *b* indumentum coloris egerit — eamque Brunnius in ritscheliano exemplo expressit — prorsus nihil ab archetypo discrepet: expressis autem verbis mihi confirmavit tituli elementa omnia clarissime comparere neque ullam posse de quinto nominis, quod posse *n* fuisse olim creditum est, moveri dubitationem. hoc solum idem vir doctus indicare omisit, Housselinum consulto, ut videtur, marginis ornamentum, hederaceam coronam — quam videris in ritscheliano exemplo — omisisse. est autem gemina ei, qua poculi recens inventi et verbis *iunonenes* (sic) *pocolom* inscripti margo contegitur: quod vasculum l. s. s. inlustravi.

principem hoc poculum locum inter quattuordecim, quae adhuc innotuere, eiusdem generis monumenta facile occupaverit. nam cetera omnia aut carent figuris aut alatorum geniorum variis lusibus intentorum, quos erotes dicere par est, ornata sunt. qua de re abunde dictum est l. s. s. in solo igitur Bellonae poculo numinis eius cuius id fuisse apparet imago efficta est. neque enim dubitari potest, quod olim monueram, imaginem esse deae Enyus, cuius nomen quicumque Bellonae graeco sermone meminere latino substituunt. sed tum cum primum hoc haud ita confidenter pronuntiabam (Annalium a. 1872 p. 54), graeci numinis imagines nostro similes videbantur desiderari. at paulo post in speculo praenestino edito Monumentorum instituti volumine octavo t. LVI, 2 comparuit *Enie*, tusci artificis figura, rugis illa quidem aliisque vetuli habitus insignibus ab hac nostra, quae virginis iuvenisve mulierculae vitam spirare videtur, satis diversa, sed eadem ei simillima serpentium crinibus insertorum ornatu. recte enim Kekuleius, qui speculi huius interpres fuit, deae tribuit 'capelli simili alquanto a quei d'una Medusa' (Annalium a. 1873 p. 127), sed idem immemor fuit nostrae imaginis. certum igitur esse aio

Digitized by Google

Enyus imaginem Medusae similem in hoc poculo pictam esse. quid circuli maculaeve utrinde positi significent nunc quoque ignoro. quae cum ita sint nullus dubito quin praeter Garruccium vel contumacissimi falsae opinionis laudatores nunc concesserint, incuria pictorem *belolai* dedisse quod *belonai* debuit esse, cum praesertim bini praeter leviculum hunc lapsum errores pictorum eique sat graves in ceterorum poculorum titulis supersint *pococolom* et *iunonenes* scripta cum falsa syllabae integrae repetitione. praeterea nihil dixerunt qui *Duelonai* formam requisiverunt: nam ut *Diovis* et *Iovis* eiusdem aetatis esse constat vel solis cistarum speculorumque praenestinorum testimoniis, ita quis quaeso demonstraverit inauditum fuisse *Belona* eo tempore quo *Duelona* frequentabatur?

Plauti tempore Romae Bellonam cum Marte militum patronam fuisse Cleomachi in Bacchidum v. 847 ius iurandum patefacit. eodem tempore in pervetere huius deae aede in circo Flaminio dedicata senatus populi romani conveniebat, siquando extra pomerium conveniendi bellique iura disceptandi facultas dabatur. poculum Bellonae cum poculis omnibus quotquot adhuc inventa sint deorum latinorum sacris aetate Plauti antiquius est. in his poculis quae reperta sunt nomina deorum Saturni, Volcani, Keri, Aesculapii, dearum Iunonis, Minervae, Bellonae, Veneris, Salutis, Curae, Aequitiae, Fortunae, Lavernae, ea tum temporis non solum Romae verum inter latinae gentis latinique sermonis homines cultos esse consentaneum est. dixeris Bellonae poculum militis alicuius sepulcro inlatum esse, sive is in tusco municipio, unde suspicamur prodisse poculum, vixerit, sive alibi. de his quoque rebus amplius dictum est Annalium loco s. s.

Datum Regimontii d. 10 Nov. 1884.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google